

DE 1958 25
EXCESSIBVS ET DELICTIS 44
IN 34
TEMPLIS COMMISSIS
DISSERTATIO IN AVGVRALIS
QVAM
PRAESIDE
ANDREA FLORENTE
RIVINO D

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO
DIG. VET. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINC.
CONSIST. ECCLESIASTICI ITEMQUE SCABINATVS
ET ORDINIS IVRIDICI VITEMB. SENIORE
H. T. DECANO

PRO CONSEQVENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

DIE DEC. A. S. R. cIbCCLVIII
IN AUDITORIO MAIORI

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

IO. CAROLVS GEBHARD REINHARDVS
VITEMBERGENSIS SAXO

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHIOMACHIANA

EXCEZIAVA TUDICHTI

DE

THMTIS COMMESIS

DICATATIS AVARICIA

LATRICE

ET CETERA

ANDBEA FUGENTE

RIVIND

PRO CONSENSE AFRIDAE


SUMMA IN AVTOMA TALI HONORIAS

IN AVDITOSIO GAVOBI

ET CETERA

IO. CROTA CHIUSI LEMMIDAE

ET CETERA



§. I.

De excessibus et delictis in templis commissis actu-
rus, accurate initio anquirere, operae pretium
esse arbitror, quid templum sit, quid excessus,
quid delictum, et quomodo hae notiones inter-
se differant. Iuri pontificio distinctio illa, excessus inter-
et delicta, procul dubio originem debet, quippe quod varii
generis in clericis excessus, ut docet *totus Titulus X. de Ex-
cessibus praelatorum*, censuris praecipit notandos. Est au-
tem excessus, transgressio regularum, mores cuiuscunque et
officia determinantium. Tales viuendi regulae iure cano-
nico clericis, quos gregis exemplum esse oportet, non laicis
praescriptae sunt, quo sit, ut in his non pariter atque in
illis excessus, nisi in delicti quoddam genus vergant, coer-
ceantur; Omnes quidem sane hominum actiones, certis li-

A 2

mitibus



mitibus sunt circumscriptae, quos ultra citraque nequit consistere rectum, sed non in omnes horum limitum transgressiones poenae ab ipsis legibus, quae ita in immensam excrescent molem, sunt statutae. Egregia sunt, quae hac de re habet SENECA,^{a)} quam angusta, inquit, *innocentia est, ad legem bonum esse, quam multa pietas, iustitia, fides, exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt?* Satis autem est in foro ciuili ad leges bonum esse, quicquid enim extra publicas tabulas pietas, fides, decorum atque honestum exigit, hominum magis pudori relinquendum est, quam poenarum atrocitate stabiliendum; Quemadmodum enim sine lege non dantur delicta, quae sunt facta contra leges, sic etiam sine delictis non dantur poenae. Etenim magistratum est, secundum leges punire, neque ipsis, duriores legibus esse licet. Hoc secus esse in clericis voluit ius canonicum, vitia in illis contra decorum in habitu, aliosque in moribus excessus generaliter notans censuris. Imitatum esse illud in eo consuetudinem Romanorum videtur, qua tempore liberae reipublicae, cum ipsis morum grauitatis essent studiosissimi, quaevis in moribus vitia legibus quoque non notata, a censoribus, uti VALERIVS MAXIMVS^{b)} memoriae mandauit, animaduertebantur, quod morum vocabatur iudicium, et teste CICERONE^{c)} nil nisi ruborem damnatis afferebat.

Fusius

^{a)} *De Ira Lib. II. Cap. XXVII.* ^{b)} *Lib. II. Cap. IX.*

^{c)} *In fragm. de republ. Cap. IV. et pro Clientio Cap. XLII.*



V

Fusius hanc rem explicuerunt BOEHMERVS^{d)} et THOMASIVS.^{e)}

§. II.

IN aestimanda vero excessum atque delictorum atrocitate, haud parum temporis ratio, qualitas personarum, aliaeque circumstantiae externae faciunt; Nihil autem illorum grauitatem magis auget, quam loci, quo perpetrantur sanctitas, quae, vt in L. 16. §. 4. de Poenis dicitur, facit, vt delictum capite sit luendum, vel minori supplicio. Hinc qui in foro, theatro, aliisque loco priuilegiato, licet leuius, delinquit, grauiori semper, teste VLPIANO,^{a)} poena erit afficiendus. Bis enim ille profecto peccat, qui locum, quem leges sanctum esse iubent, violare delictis audet. Sic manuum amputatione puniri solet effrenata audacia eius, qui in palatiis principum, in castris aliquaque locis, legum sanctionibus munitis, hostili aliquem animo inuadit, atque hac ratione securitatem, qua principum praecipue sedes antiquitus floruerunt, imo ipsam, quae illorum personis debetur reverentiam laedit ac pietatem. Ita apud CARPZOVIVM,^{b)} cum nobilis quidam nobilem in arce Altenburgensi percut-

A 3

fisset

d) In Differt. de Excessum poenis.

e) In Differt. de Censura morum.

a) In Leg. 9. §. 2. de Iniuriis.

b) In Praxi crimin. P. I. Qu. XLI num. 31.



sister, mense Septembri anno 1696. responderunt Scabini Lipsienses. Quae cum ita sint, excessus et delicta in templis, quibus in republica bene stabilita inviolabilius esse debet nihil, patrata, maximam ex loci sanctitate capere atrocitatem, quis dubitabit? Quid enim vñquam magis temerarium magisque nefandum hominibus est, quam summi ipsius Numinis, cuius cultui haec aedes dicatae sunt, patrando in illis delicta et crimina, laedere maiestatem? Id quod confirmat §. 2. Mand. Regii de Duellis.

§. III.

NVLLA enim fere vñquam in orbe terrarum gens adeo ferox adeoque diuini cultus expers fuit, vt ne aedes Diis suis consecratas, a negotiis humanis vacuas, et ab hominum prætorum iniuriis ac violationibus immunes summo rigore vindicarent. Tametsi quidem nonnulli olim populi aedes Diis extruere, in more omnino non haberent, hoc tamen minus ex religionis contemptu, quam ex superstitione quadam ingeniosa dimanasse certo certius est. Non enim, vt CICERO^{a)} de Persarum magis praedicat, esse parietibus includendos Degs, arbitrabantur, quibus omnia patentia atque libera, quorumque hic mundus omnis templum esset ac domus. Sic Persas exactissimos alias Deorum cultores, antiquioribus temporibus a templis abhorrentes, ac ne statuas quidem Diis

a) *De Legibus Lib. II.*



Diis erigere solitos, in editissimis montibus sacra fecisse, Iouique hostias immolasse, ex Herodoto euicit SCHVRZFLEISCHIVS.^{b)} Sic quoque Athenienses clementiae, quam diuino cultu venerabantur, neque imagines neque tempла parafie, STATIVS^{c)} ita canens, tradit:

*Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deae, mentes habitare ac pectora gaudet.*

Iisdem fere moribus vni sunt prisci nostri maiores, Germani ab omni in aedificando splendore ac pompa alieni, qui summae studioſi simplicitatis, TACITO^{d)} teste, nullis deorum cultui templis extructis,^{e)} sacra suo more in lucis maxima pietate, exercebant.

§. IV.

APVD Romanos vero vox templi varios significatus. Interdum pro coeli regione ab augurib⁹ designata, interdum pro loco quoquaque clauso, licet profano, accipiebatur,

b) In *Dissert. de Templorum antiquitatibus.*

c) *Thebaidos Lib. XII. vers. 493.*

d) *De Morib. German. Cap. IX. et XLIII.*

e) Non me a sententia illa diminet locus TACITI in *Aenal. Lib. I. Cap. LI.* quo, mentionem faciens templi cuiusdam,

quod Tanfanae vocabatur, sibi ipse contrarius videtur. Sed quid per τὸ Tanfana intelligerent, vbique illud templum fuerit situm, nescire ingenue fatentur summi nominis critici. Vid. Illustr. MASCOVII *Geschichte der Teutschen Lib. IV.* §. II. num. 5. pag. 85.



piebatur, porro etiam sepulchra ita appellari solebant, et denique ipsae deorum aedes hoc nomine insignes erant. Cum igitur hoc templi vocabulum, rituum profanorum, et ceremoniarum, a quibus primus Christianorum coetus abhorrebat, prae se ferret imaginem, ab illius vsu, haud secus ac Romani eiusdem regibus, a nomine regio, diu abstinuerunt. Tantis practerea hoc tempore calamitatibus premebatur res Christiana, vt, cum a barbarorum nutu penderent, qui illos inaudita vexabant saeculia, vitam degerent, quae nihil erat, nisi miserrimi temporis propagatio, vtque, quominus splendidas Deo ter optimo maximo aedes erigerent, temporis iam perpetuis aerumnis impedirentur. Quamuis autem sequioribus temporibus, extruendarum, Diuini cultus gratia, aedium, nanciscerentur facultatem, illas tamen sacraaria, domos Dei, conuenticula, ecclesias minus accurate appellare, quam templi voce vna cum ethnicis vti maluerunt.

§. V.

HAEC igitur paucis praefatus, iam ad ipsos excessus et delicta, in templis commissa, progredior. Nolo certe, et ego quidem in immensum, vt BOEHMERVS²⁾ illud suo iure vocat, me excessuum et delictorum mare immergere, vt singula illorum capita sigillatim enumerem, quod ob insi-

nitam
2a) In alleg. Dissert. de excessuum poenis, quae deinde in Tom. V. Iuris ecclesi. relata est.



nitam ipsorum multitudinem frustraneus esset conatus, animum potius, cum cetera pleraque in compendiis fuse satis pertractata sint, ad illa delicta illosque excessus pro thematis ratione applicabo, qui in templis interdum committuntur, commissique, cum illis sacra turbentur, ad consistoriorum pertinent cognitionem. Quod ut eo felicius succedat, vindendum primo loco erit, quis delinquere, quis excedere in templis queat? Vtrumque clericis et laicis esse commune, nemo forte negabit. Excessus vero in clero, qui typus esse sui gregis debet, ex mente iuris canonici facilius animaduerti, quam in laicis, quibus tam exactae viuendi normae praescriptae non sunt, quorumque vitia moralia, legibus diserte non notata, impunita saepius relinquuntur, ex §. I. dictis clarius apparet. Ab hac vero, qua iure canonico venit, verbi excessus notione admodum discessit usus loquendi hodiernus. Omnia enim hodie leuiora delicta, ut lenitate verbi rei turpitudo mitigetur, ita appellari solent. In hoc etiam significatu Romanos eodem verbo usus interdum fuisse, ex VALERIO MAXIMO^{b)} apparet, qui seculi verecundiam laudat, in quo tam minuti excessus puniebantur, loquitur de furto usus in commodato, cuius exemplum praebet PAVLVS Lib. IX. ad Sabinum.^{c)} Deinde vero cum sermonis latini puritas sensim exulare coepisset, maiora quoque crimina, ut in L. 10. C. de Episc. et cler. in fine, ita appellabam-

B

laban-

^{b)} Lib. VIII. Cap. II. §. 4. ^{c)} In L. 40. de furtis.



abantur. Itaque voce in excessus si hac ratione acciperemus, impium esset laicorum excessus impunes esse, statuere, quod tantum abest ut nostra sit sententia.

§. VI.

INTER excessus clericales merito quoque refertur, quando illi priuatis ducti affectibus; et vindictae studio homines e suggestu sacro iniuriis afficiunt, ita, ut vel noininent illos, vel saltim ita describant, ut quilibet ex coetu, quem tactum velint, facillime intelligat. Iung. DEYLING.^{a)} Hic enim sacro illorum officio limites omnino positi sunt, quos transgredi, non sine censura possunt. Quamuis enim sacerdotibus ab ipso Christo, vitia in hominibus sui coetus arguendi, eoque alias a sceleribus absterrendi facultas data sit, quamuis etiam illis publica delicta haud ambiguis verbis castigare omnino liceat, ideoque CASPAR ZIEGLER^{b)} conciones severas maxime commendet, multum tamen abest, ut odio priuato indulgentes nullo nisi rumoris admodum fragili nixi testimonio, moratorium famam fuggillare impune queant.^{c)} Sic enim Serenissimus Legislator noster^{d)} disposuit: *Und sollen Kirchen-Diener ihr Amt unärgerlich jederzeit mit aller Sanftmuth verrichten, auf daß die Pfarr-*

Kinder

a) In Prudentia pastorali Parv. III. *c)* BALDVINV S in Cof. conscient. Cap. II. §. 27. Lib. IV. Cap. VII. Cof. III. seq.

b) In Superintend. Cap. IX. §. 14. *d)* In Art. generali III. §. 7.



Kinder vernehmen mögen, daß seine Straf-Predigten nicht aus fleischlichem Willen, sondern Christlichem und väterlichem Willen hergeflossen. Sacerdotes igitur huic praecepto morem haud gerentes, non poena solum reprehensionis, mulctae, carceris, sed suspensionis etiam et remotionis plebendos esse, testatur, et praciudiciis confirmat A LEYSER.^{e)} Praeclara atque ingeniosa quoque sunt hac de re STRYKII ad Brunnemannii ius ecclesiasticum^{f)} verba: *Quod de praetore iura nostra afferunt, non debere inde iniurias proficisci, unde ius nasci debebat,^{g)} id quam maxime de ministris ecclesiae in suggestu constitutis afferendum: non debere ab ipsis iniurias proficisci, unde iuris diuini oracula audiri debebant.*

§. VII.

SACERDOTES porro e suggestu sacro falsas opiniones in vulgum spargentes, si simul verbis ad laedendam diuinam maiestatem compositis vtuntur, vltimo supplicio puniendos esse, quis dubitabit? Ex sententia quidem Pontificiorum simplex quoque haeresis poena capitali coercenda est, quae autem saeuitia, tantum abest, vt aequitati naturali respondeat, quin potius a puriori doctrinae addictis merito reiciatur. Consistit autem haeresis in vitio animi, quod, vt ZIEGLERV^{a)} ait, ferro et igne non potest corrigi. Ele-

B 2

ganter

^{e)} Spec. ad Dig. Is XCVIII. Med. 13. g) L. 6. C. Vnde vi.

seqq.

^{a)} De Iur. Mai. Lib. I. Cap. XVI.

f) Lib. II. Cap. XVIII. §. 63.

§. 3.



ganter etiam hac de re LACTANTIVS,^{b)} quis mihi imponat, inquit, *necessitatem, vel credendi, quod nolim, vel non credendi, quod velim;* et THVANVS in epistola dedicatoria ad HENRICVM IV. in editione Aurelianensi de a. 1620. *Experientia satis edocti sumus, ferrum, flamas, exilia, proscriptio[n]es, irritasse magis, quam sanasse morbos, menti inhaerentes, ad quos perinde curandos, non iis tantum, quae in corpus penetrant, sed doctrina, et sedula institutione, quae in animum leniter instillata descendit, opus esse.* etc. *Sola religio non imperatur.* Ita etiam beatus ipse LVTHERVs^{c)} huic sententiae robur adiicit: *Weltliche Obrigkeit soll zufrieden seyn, und ihres Dinges warten, und lassen glauben sonst, oder so, wie man kann oder will, und niemand mit Gewalt dringen, denn es ist ein frey Werk um den Glauben, darzu man niemand soll zwingen.* Ne vero peregrinac eiusmodi et spuriae opiniones in alios propagentur, sedulo omnino caendum est, resecandum igitur est tam perniciosum ecclesiae membrum,^{d)} ne pars sincera trahatur. Hinc relegationis poenam in decies eiusmodi ab ecclesiae ministris frustra instructum atque admonitum, fuisse decretam, ZIEGLERVs^{e)} testis est. Multo igitur magis adhuc in fæcerdotibus videntur erit, ne quid respublica detimenti capiat, cum ipsi frequen-

b) Lib. V. Instir. Cap. XX.

d) Vid. Can. XVI. Causs. XXIV.

c) Im andern Ienaischen Theile fol.

Quæst. III.

180.

e) Alleg. loc. §. 10.



frequentissimam, quotidie fere ad populum publice verba facientes, ad irretiendos corruptelarum illecebris alios, habent occasionem. Ne igitur censuram quidem effugient illi concionatores, qui falsae cuidam doctrinae addictos incaute laudant, vt vel illorum in religione feruorem efferant, vel cum sanctis ipsos comparent, vel alio quoquis modo regulas prudentiae, licet bono animo, excedant. Hoc enim saepius fit, vt imperita plebs, subiectum ab obiecto parum discernens, ad varios commoueatur errores. Non longe absimilem refert casum BERGERVS:¹⁾ Sacerdos quidam Euangelicus, poeta laureatus, carmen, quo Abbatii cuidam, patrono suo, noui anni gratulabatur auspicium, composuerat. Hunc variis ornat.laudum praeconiis, ipsumque sanctum vocans, Aaroni comparat more poetarum, allisque, quorum scriptura sacra mentionem facit, pietatis laude insignibus, quae illius incauta in laudando licentia moleste ferebatur, et ad interrogationem, quomodo puniendus ille sit, ita respondebit Facultas Iurid. Vitemb. *Dass der Pfarrer zu N. wenn zumabl er zuförderst seine schriftlich gethanen Deprecation nochmals vor Gerichte wiederhoblet, mit fernerer Straffe zwar zu verschonen, nichts destoweniger aber ihm solcher Excess nachdrücklich zu verweisen, sowohl von dergleichen, bey Vermeidung willkürlicher Bestrafung, abzustehen, anzudeuten etc.*

B 3

§. VIII.

¹⁾ Part. I. Respons. CCXLII.



§. VIII.

IN EO porro clericī excedunt, vt inimicitia ducti, iis, a quibus laesos se putant; absolutionem vsumque sacrae coenae denegent. Aburuntur illi certe mandato Christi Seruatoris nostri *Matth. VII, 6. et Io. XX, 23.* emisso, quo quidem illis imponentes a communione arcere, non autem tali modo, in propria causa esse iudices licet. Recte igitur illos poena arbitria, carceris, (*mit priesterlichem Gehorsam*) suspensionis, imo pro re nata remotionis esse coercendos, praeiudiciis nixus docet CARPZOVIVS.^{a)} Cum autem poenae delictis sint commetienda,^{b)} et his crescentibus, illae quoque crescant, grauius puniendus sane erit ille sacerdos, qui iracundia motus eo procedit audaciae, vt sacra coena fruentes iniuriis afficere, eorumque turbare deuotionem haud vereatur. Detestabile huius criminis exemplum refert PETRVS MÜLLERV^{c)} de sacerdote quodam, qui loco formulae in oblatione diuini sanguinis receptae, hisce PAVLI verbis vſus est: *Wer unwürdig von diesem Kelch trinket, der trinket ihm selber das Gericht.* Item in THEATRO EUROPAEO^{d)} sacerdotem aliquando inimicorum cuidam his verbis hostiam porrexisse, relatum legitur: *Nimm hin, das ist*

^{a)} In *Def. Conf. Lib. III. Def.* ^{c)} In *Diff. de Poenit. eccles. Cap. CVII.* ^{IV. num. 69.}

^{b)} *L. II. de Poenis.*

^{d)} *Tom. III. pag. 385.*

ist der Leib Christi, der gereiche dir zur ewigen Verdammniß! imo etiam tantam ecclesiae ministri alicuius quondam fuisse temeritatem, vt hostiam cuidam, quo cum in lite erat, offerens, taliter nafsum eius percuteret, narrat PERTSCHIUS,^{c)} plura adhuc huius delicti, eademque nefanda recentissima exempla.

§. IX.

TVRPIVS autem infamiusque facinus a clericis committi vix potest, quam si diuino, in actu confessionis, fungentes munere, pudicitiae confidentium insidias struere, vel illas verbis obscoenis factisque commouere ad lasciviam conantur. Miror profecto leges nostras hoc crimen plane silere, sed fere non miror, cum poena tanto sceleri satis congrua inueniri vix posse, et vindicta potius summo vindicta, cuius Maiestas eo grauissime laeditur, relinquenda esse, Legislatoribus procul dubio visum sit. At enim vero in puniendo eiusmodi scelere, in foro humano nihilosecius, praecedente degradatione, ad poenam corporis afflictionem, imo utrumque interdum supplicium deueniri posse, certus sum.^{a)} Quemadmodum enim delicta carnis seuerius esse castiganda in clericis, cum ex illis scandalum nascatur sumimum, sana ratio suadet, ita ut sacerdotes, talia perpetrantes,

ampu-

^{a)} Vom Rechte der Beicht-Stühle, ^{a)} Vid. von ROHRS Ober-Sächs. P. II. Cap. I. §. 12. Kirchen-Recht pag. 336. §. 40. vbi eiusmodi casum refert.



amputatione virilium, quae in media ciuitate suspendebant, punirent veteres Germani, vt ex VRSTISII *Anmalibus* refert A LEYSER,^{b)} sic etiam praeципue hic flagitii immanitas ex loci, temporis, personarumque sanctitate ad tantam atrocitatem euehitur, vt non in sacri ordinis solum, sed fere in totius humani generis turpititudinem vergat. Hac enim illa lasciuia ecclesiae minister, animarum ad Deum redeun-
tium, quarum dux esse debuisset, et custos, sit pestis, atque illas ipsi Spiritui sancto quasi furatus, sacrilegium commit-
tit atrocissimum.

§. X.

HAEC crimina, hi excessus, quos hucusque pertractauimus, a solis clericis committi possunt, consequens est, vt iam quae vel communia illis, vel quibus laici obnoxii sunt, videamus. Commune est eiusmodi delictum, iniuria clerico sacra administranti illata cum turbatione sacrorum coniuncta, quod immane facinus et iure Romano et canonico inter sacrilegia refertur. Insignis autem hic inter vtrunque ius occurrit dissensus. Iure enim ciuili^{a)} talis iniuria inter publica crimina refertur, et si ex illa turbatio sacrorum ministeriorum oriatur, capit is, illa si deficit, verberationis et relegationis poena coercetur. Pontificium vero ius quemcunque, qui reali iniuria, quovis loco, clericum afficit, siue sacra

^{b)} In Spec. DCXLIX. Cor. V.

^{a)} L. 10. C. de Episc. et clericis Auth. sed novo iure C. eodem.



sacra hic ipse administret, eaque turbentur, siue non, sacrificium esse, et anathematis vinculo subiacere praecepit. Ita enim INNOCENTIVS II.^{b)} si quis, inquit, suadente diabolico, huius sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, in sequentibus vero GRATIANVS dispositionem Impp. HONORII et ARCADII^{c)} verbotenus fere repetit. His legibus vna, quamvis admodum disparibus, ductus CARPZOVIVS,^{d)} cum eoque multi alii magni nominis ICti, haec quatuor requiri, si ad poenam capitalem in hoc crimine perueniri possit, arbitrantur: vt 1) persona ecclesiastica iniuria reali, 2) in loco sacro, 3) eo tempore, quo tractantur sacra afficiatur, et 4) illa hoc facto turbenatur. Sed quamvis omnino horum sententia in reliquis subscribam, mihi tamen, quod pace tantorum virorum dictum sit, per hasce leges iniuriam absolute realem necessariam esse, non videtur, sed quamlibet potius iniuriam atrocem sufficere, modo sacra turbentur, ex ipsis colligo. Omnis vero prope iniuria, ministro ecclesiae sacra administranti illata atrox est, vti iam VALERIANO et GALLIENO Impp.^{e)} a vero Dei cultu alienis visum est, atrocem enim, inquiunt, sine dubio iniuriam esse factam, manifestum est,

C si tibi

b) In Can. XXIX. Canff. XII. d) In Defin. conf. Lib. VII. Def.

Qu. IV.

XLV. num. 11.

c) In alleg. L. 10.

e) In L. 4. C. de Injuriis.



*si tibi illata, cum esses in sacerdotio et dignitatis habitum et
ornamenta prae te ferres.* Exempla tam clericorum quam
laicorum, qui sacra profanantes, ad poenam capitalem da-
minari sunt, legi, si libet, possunt apud CARPZOVIVM^{f)}
et a LEYSER,^{g)} quam plurima.

§. XI.

CVM igitur ad ultimum supplicium in hoc crimine in-
fligendum, et atrox iniuria, clero, sacra in templo admi-
nistranti, illata, et sacrorum ipsorum turbatio requiratur,
poenam illam, si quid ex hisce deficiat, locum non habere,
sed degenerare in arbitratiam facillime appetet. Varii hic
casus occurunt, quibus vel sacra turbantur, sine iniuria
sacerdotibus illata, vel illis iniuria infertur sine turbatione
sacrorum, vel vtrumque adest, minister autem ecclesiae,
vel ipse sacra ministeria, vel saltim in loco sacro non pera-
git. Pertinet huic praeципue hominum ista ferox atque im-
pia iracundia, qua excitati, concionatoribus virtu quaedam
vituperantibus, quibus se ipsi forte laborare sentiunt, pu-
blice obloqui fatis audaces sunt. Horum nequitiam arbi-
trarie, fustigatione interdum, castigandam esse, BERGE-
RVS,^{a)} DE ROHR,^{b)} CARPZOVIVS,^{c)} aliique testantur.

Speculant

*f) In Def. Conf. Lib. III. Tit. VIII. b) Im Ober-Sächs. Kirchen-Rechte
Def. XCIX.*

Lib. IV. Cap. IX. §. 15.

g) Spec. DCXX.

a) Part. I. Resp. CLXXIX.

e) Alleg. loco num. 16.



Speciant hoc porro excessus in subfelliis aliisue templi partibus commissi, quibus saepissime sacra turbantur, si quis v.gr. aliquem sella deiicit, vel, vt equorum mos est, ferocitate exsultat, vel sellis in contumeliam possessoris iniuriosi aliquid appingit, vel adscribit, vel denique, si qui ducti ambitione, magno cum strepitu et mutuis iniuriis de praecedentia disputant. Produnt hi praeципue summagam animi levitatem; Superbia enim, et verus, quem diuinus ille actus exigit, de peccatis dolor, eadem simul pectora habitate vix solent. His igitur mulcta, aliaeque poenae arbitriae merito paratae sunt. Sic ordo ICtorum Vitemb. anno 1754. mense Martio eiusmodi cauissam, a Superintendente quodam et praefecto vicino delatam, ita decidit: Es sind N.N. wegen ihrer am 24sten Sonnntage post Trinitatis des 1752sten Jahres in der Kirche zu N. bey Austheilung des heiligen Abendmahls, vor dessen Genuss, begangnen Excesse, und zwar die N. drey Tage lang mit Gefängniß, oder um ein halbes neues Schock, die N. aber zween Tage lang mit Gefängniß, oder um ein altes Schock, ferner N. und N. jede einen Tag lang, mit Gefängniß, oder um ein halbes altes Schock, zu bestraffen. Neque illi quoque poenam arbitriariam effugient, qui inter sacra nuditate, profanis colloquiis et confabulationibus aliorum aures premunt, namque quod eiusmodi excessus non debeant puniri, non dixerim, ^{d)} potius idcirco

C 2

(in

d) Vid. **NAPPIVS** de iure clericorum pag 457.



in legibus nostris sapienter sanctum legimus:^{e)} Es soll auch jedes Ortes Obrigkeit diese Verordnung fleißig thun, daß auf den Empor-Kirchen, oder andern Orten in der Kirchen, einige Leichtfertigkeit und Unfug, mit Lachen, Waschen, oder andern dergleichen, bey aufgesetzter Straffe nicht getrieben werde. Imo alio loco numellarum in eos poena statuta est:^{f)} Welche unter der Predigt, oder dem Amte in der Kirche, Unfug treiben, sollen in das Halß-Eisen geschlagen, oder sonst gezichtiget werden. Quo etiam collimat Cap. II. de immunit. ecclesiae in 6to, et Mand. Reg. d. d. Dresdae d. 2. Aug. 1749. wegen besserer Beobachtung der Sabbaths-Feyer §. I.

§. XII.

Loci denique sanctitas poenam etiam maxime exasperat in iis, qui sacrilega manu res sacras ex loco sacro auferunt. Ex dispositione enim iuris prou. Sax.^{a)} rota illi contunduntur: *Die Kirchen und Kirchhöfe berauben, soll man radebrechen.* Iure Romano quidem non tam loci priuilegium, quam rei ipsius qualitas fecisse sacrilegium viderur. Ita enim MARCIANVS:^{b)} *Dini ANTONINVS et SEVERVS, inquit, rescripsierunt, res priuatorum si in aedem*

^{e)} In Art. gen. XVII. et Decreto ^{a)} Lib. II. Art. XIII.

Synodali §. 13.

^{b)} In L. 5. ad L. Iuliam pecula-

^{f)} In Cod. Aug. Tom. I. pag. 440. *tus etc.*



ædem sacram depositae, subreptæ fuerint, furti actionem esse, non sacrilegii; Sed ius canonicum,^{c)} quod etiam se- cutus est CAROLVS V. Imp.^{d)} tres posuit sacrilegii spe- cies res sacra si ex loco sacro, ex loco profano si res sacra, et res profana si ex loco sacro abripiatur. Itaque non rei solum ipsius, sed loci quoque praecipue habitam fuisse ra- tioneum, oppido appetet, præsertim cum in Art. CLXXII. poena capitalis, pro arbitrio iudicis determinanda iam in eos statuatur, qui furandi animo, templo vel facella effrin- gunt, vel instrumentis, clave forte adulterina aperiunt, quamvis ne obolum quidem abstulerint. Deinde etiam CAROLVM Imp. ad loci sanctitatem in primis respexisse clare docent verba in Art. CLXXIV. Doch soll in solchen Kirchenrauben und Diebstählen, loquitur Imp. de illo casu, si res profanae ex loco sacro auferuntur, weniger Barm- berzigkeit geübet werden, als in weltlichen Diebstählen. Quare etiam CARPZOVIVS^{e)} secundum rigorem iuris Saxonici illum puniendum esse, suo iure autumat, qui arcas, quibus eleemosynæ colliguntur, ac reconduntur, templis affixas effringens pecuniam inde subtrahi, quamvis ab illo dissentiat WERNH.^{f)}

C 3

§. XIII.

- c) *Can. XX. Caus. XVII. Qu. IV. Quæst. LXXXIX. num. 30.*
- d) *In Art. Crim. CLXXI. f) In Obseru. Part. II. Obseru.*
- e) *In Iurisprud. crimin. Part. II. VIII.*



§. XIII.

VERVM enim vero ne angustos propositi fines transgrediar, eoque ipse excessum committam, haec de delictorum atque excessum in templis commissorum speciebus dicta sufficient. Stat sententia, delicta in loco sacro perpetrata, ad summam euchi atrocitatem, ideoque gravius semper esse punienda. Ceterum vltimo loco de foro in templis delinquentium nonnulla adiiciam. De clericorum igitur in puniendis excessibus ac delictis foro initio nobis agendum erit.^{a)} Antiquissima est clericorum a iurisdictione ciuili exemptio, et iam clara huius rei in legibus Romanis occurunt vestigia. Ita enim, in auth. statuimus, *de episcopis et clericis illam stabiluit FRIDERICVS, ut nullus ecclesiasticam personam, in criminis quae sit, vel ciuili, trahere ad iudicium seculare praesumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones.* Sed quidnam statuebant hae ipsae imperiales constitutiones? hoc legi potest, in auth. *caussa quae sit, et clericus quoque eodem:* in ciuibus nimirum clericorum cauiss adeundum esse episcopum, in criminibus ciuibus iudici seculari competere notionem, in ecclesiasticis vero, episcopi esse cognitionem atque castigationem. Hi primis seculis, cum res Christiana sub tyrannide Imperatorum ethnicorum gemeret, neque

a) De qua materia dissertationem conscripsit HILLIGERVS.

que proprios haberet magistratus fidelium coetus, omnes prope controuerias, quas ad forum gentilium trahere Christiani cum PAVLO^{b)} improbabant, ut arbitri definire soliti erant. CONSTANTINI vero MAGNI, cum ille ad Christi ecclesiam transiret, et Successorum^{c)} beneficio, haec lites decidendi potestas, quam olim ex partium compromisso exercebant, sub nomine episcopalibus audiencie illis confirmata est, quae quidem, praeceps quod ad caussas, et personas ecclesiasticas a iurisdictione non nisi terminis, et quod destituta fuerit mixto imperio, differebat. Quam varii autem canones, quam variae deinde Imperatorum constitutiones, quae rei huic aliam dedere formam, has leges exceperint, ad quantum sensim fastigium episcoporum potestas sit euecta, neque ad rem meam, cum iurisdictionis ecclesiasticae conscribendi historiam non sit animus, pertinet, neque etiam, cum otium mihi iam fecerit ZIEGLERVS,^{d)} vtile esset.

§. XIV.

NVNQVAM vero criminalem iurisdictionem sibi arrogauit, sanguinis profusionem abhorrens ecclesia.^{a)} Hoc

autem

b) *i. Cor. VI, 1. seqq.*

a) *Vid. Cap. 5. X. ne clerici, vel*

c) *V. gr. HONORII et ARCA-*

monachi secularibus etc. et GON-

DII in L. I. de c. Episc. aud.

SALEZ TELLEZ ad hoc caput

d) *De Episcopis Lib. III. Cap. XXX.*

num. 4. et 6. vbi cum PACATO,



autem ideo statuisse videntur pontificii, vt clericorum impunitatem eo firmorem redderent. Clericus enim a nullo iudice seculari, nisi ab ecclesiastico traditus iudicari poterat. Tradi autem prohibebatur, nisi ille in tribus istis criminibus, haereseos scilicet, falsi in litteris apostolicis, et coniurationis in proprium episcopum, ter quaterque molliter satis censuris notatus, fuisset incorrigibilis, et tunc demum cum intercessione, vt citra mortis poenam in illum feratur sententia,^{b)} cui morem si non gerebat, iudex secularis, ipso iure erat excommunicatus. Reliqua igitur criminia, quorum grauitas poenas canonicas superat, sodomiam, perduellionem, parricidium, aliaque si patrarent clerici, ordinibus suis degradati, tam durus est INNOCENTIUS III. papa^{c)} in arctum detruidi monasterium iubebantur. In leuioribus vero delictis, quibus etiam adulterium annumerare libet ALEXANDRO III.^{d)} episcopis cum clericis dispensandi facultas erat. Sic pleraque clericorum delicta impunita relinquentur, etenim per dictum Cap. IV. non debebat quilibet depositus, pro suis excessibus iudicii tradi seculari.

§. X V.

HODIE vero, cum ius circa sacra iure quasi postlimii, post reformationem, ad principes protestantes rediisset,

clericos, qui criminum cogniti^{b)} Vid. Cap. 27. X. de Verb. sign. tionibus intersunt, satellites et^{c)} Cap. 6. X. de Poenis. carnifices appellat.^{d)} Cap. 4. X. de Iudiciis.

fer, excessus quidem clericorum leuiores,^{a)} in consistoriis, nisi forte a Principe, summo, in territorio suo, episcopo, iurisdictio ecclesiastica, vti extra electoratum non nullis locis factum est, alii sit demandata, adhuc castigantur.^{b)} In delictis vero atrocioribus, vel atrocissimis, generalem quidem inquisitionem auspicatur forum ecclesiasticum, ut primum autem corporis aliquid afflictum per sententiam decernitur, sobald etwas Peinliches erkannt wird, Superintendenti plerumque ac magistratui ciuili cauillam per modum commissionis desert, a quibus deinde, personae ecclesiasticae pariter ac laici puniuntur. Possunt quidem, vi Rescripti Sereniss. IOANNIS GEORGII III. Electoris personae ecclesiasticae de fuga suspectae a iudice seculari apprehendi, sed statim ad consistorium relatio fiat, necesse est; a quo, ad iudicem ciuilem quomodo ulterius procedere debeat, rescribitur, et hoc generaliter in clericis, siue

D in

- a) Vid. WERNHER in *Princ. Iurisprud. Eccles.* Cap. IV. §. 14. et DEYLING in *Prud. pastor.* Part. III. Cap. XI. §. 2.
- b) Ita enim in *Ord. Eccles.* titulo: von beyden Consistoriis, Cap. X. dispositum est: Denn ob sich wohl ihr Erkäuntñß auf Leib und Leben nicht erstrecket, welches denen Gerichten der weltlichen Obrigkeit vorbehalten ist, so sollen sie doch ciuiles poena, uehmlich Geld-Straße und Gefängiß, zu sprechen, von Uns Gewalt und Macht haben.
- c) BEYER. ad CARPZ. p. 194. et WERNH. Part. I. Ennuc. CLXII.




in templis, sive alibi delinquent obtinent. Maiori vero res obnoxia est dubio, si personae non ecclesiasticae delicta in templis committunt. Solent enim iudices interdum seculares cognitionem in eius modi in templis commissis excessibus ac delictis, perperam sibi vindicare, caussas hafce non ecclesiasticas esse, sibi persuadentes, cum neque persona clericalis concurrat, neque illae etiam inter causas in consistoriis tractandas in *Ord. eccles.*^{d)} recensitas, sint relatae. At enim vero, cognitionem in hisce caussis ad consistoria indubitate spectare, certus sum. Non enim solum consistorium, ut forum delicti considerandum est, sed in *alleg. loco Ord. eccles.* implicite etiam eiusmodi caussae sub ecclesiasticis omnino comprehenduntur: Ibi enim generaliter: *Alle ärgerliche Sünden an den Lehrern und Zubörern, soviel die Gradus admonitionum, und nicht die weltliche Straffe, anbelanget,* et porro n. 6. omnia negotia, quae ad status ecclesiastici externi ordinem et directionem pertinent, *in Summa, was in dem Kirchen-Regiment gute Anordnung und Verbesserung erfordert,* consistorii cognitioni, vt subsint, iubetur. Grauiter igitur errant iudices seculares, qui, has caussas ad consistoria pertinere negantes, trahere illa, ad suum forum moliuntur, praecipue, cum haec res hodie per tot Rescripta Regia decisa sit. Praecipuum quod hanc rem attinet, et cuius

^{d)} *Titulo VII. Was Sachen in das Consistorium gehören, in Cod. Aug. Tom. I. pag. 636.*

ius WERNH. in *Iurispr. ecclesiastica* p. 163. mentionem facere videtur, ad consistorium Vitemb. emissum est, ao. 1725. mense Ianuario, sequentis tenoris: *Nachdem aber solche Befehle* (erant rescripta, ad quae praefectus quidam, talem casum ad se rapere studens, perperam prouocabat,) *dasjenige, was in der Kirche und unter dem Gottesdienste vorgegangen, keinesweges angeben, sondern euch, so viel diesen Fall betrifft, die Cognition allerdings zufiehet.* Porro etiam, cum senatus quidam oppidanus eiusmodi excessum, in templo commissum, ad se vocaret, ad idem consistorium, quod hic floret, quodque hanc iurisdictionis suae turbationem aegre ferebat, relatione ad Potentissimum facta, d. 13. Aug. 1755. ita rescriptum est: *Was ihr wegen der von dem Rathe zu N. sich angemaßten Bestrafung, eines, von N. N. in dasiger Kirche verübten Excessen, unter den 16. Junii a. c. unterthanigst einberichtet, und darneben angefragt, ist Uns gehorsamster Vortrag geschehen. Allermassen nun, sowohl von Uns, als von Unsers, in Gott rubenden Herrn Vaters Königlicher Majestät, diese Frage nach Maßgebung der Erledigung der Landes-Gebrechen, de anno 1661. §. 4. zu allen Zeiten, schon vielfältig decidiret worden, daß die Erörterung und Bestrafung derer, in der Kirchen, beschobenen Verbrechen, und Turbationum sacrorum, lediglich vor die Consistoria gehöre, als hat es dabey nochmals sein Bewenden, und Wir begehrn hiermit, ihr wollet euch in allen künftigen Fällen gehorsamst*




darnach achten; quod Rescriptum decisuum, in alio emer-
gente casu, denuo nouissime d. 20. Sept. 1758. confirma-
tum est, his verbis: *Im übrigen aber bey Unsern, schon
zu mehrerenmahlen, und insonderheit unterm 13. August 1755.
ergangenen Decisiv-Befehlen, nach welchen die Erörterung,
und Bestraffung derer, in denen Kirchen begangenen Ver-
brechen, und Turbationum sacrorum, lediglich vor die
Consistoria gehöret, es schlechtedings ver-
bleiben lassen.*




Wittenberg, Diss., 1756-58

ULB Halle
003 608 042

3



+
SL



DE 1758 11/25
EXCESSIBVS ET DELICTIS
IN
TEMPLIS COMMISSIS
DISSERTATIO IN AVGVRALIS
QVAM
PRAESIDE
ANDREA FLORENTE
RIVINO D
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO
DIG. VET. PROF. PVBL. ORD. CVRIAEC PROVINC
CONSIST. ECCLESIASTICI ITEMQUE SCABINATVS
ET ORDINIS IVRIDICI VITEMB. SENIORE
H. T. DECANO
PRO CONSEQUENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
DIE DEC. A. S. R. 1758
IN AVDITORIO MAIORI
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IO. CAROLVS GEBHARD REINHARDVS
VITEMBERGENSIS SAXO

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHIOMACHIANA